

**Leges Bibliothecae Pvblicae Academiae Kiloniensis : Prorector Procancellarivs
Et Senatvs Academiae Kiloniensis Civibvs Svis ... : [P. P. Kiliae sub Sigillo
Academiae, die XVIII Nouembris, MDCCLXXXII.]**

[Kiliae], [MDCCLXXXII.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727325478>

Druck Freier  Zugang



Kiel

1701.

D. II. 2.

1550.



Df II 2
1550

LEGES
BIBLIOTHECAE PVBLICAE
REGIAE ACADEMIAE
KILONIENSIS.

PRORECTOR
PROCANCELLARIVS ET SENATVS
CIVIVS SVIS.

Leges Bibliothecae publicae, latis anno MDCCLXXV, per aliquod tempus neglectas esse, certis indiciis comperimus. Ne igitur quid detrimenti capiat Bibliotheca publica, praeclarum illud optimarum artium & litterarum adiumentum, renouatas illas exhibemus & auctas, &, publici commodi memores, easdem in posterum sancte inuiolateque seruari iubemus. Igitur, qui librorum copiam sibi fieri exoptat, sequentia obseruet:

I. Librum nemo accipit, nisi schedam exhibuerit Bibliothecario aut Custodibus, quae Professoris nomen habet, ipsius manu subscriptum.

II. Quem accepit librum, post *quatuordecim* dierum decursum restituat; & quidem

III. incolumem & illaesum. Qui secus fecerit, ad reparationem damni se obligatum esse sciat, paratissimo Magistratus auxilio exigendam.

IIII. Qui, vel ex hac Academia discedens, vel alia quacunque ratione, librum plane non restituit, non restitutionem solum, aut si haec fieri non posset, solutionem pretii carissimi, idoneo quouis juris subsidio vrgendam, verum etiam poenam vel culpae vel doli exigendam, pro explorato habeat.

V. Librorum in Bibliotheca ordo quoniam facillime perturbatur, nemini vestrum fas erit, libros e forulis suis manibus tollere, multo minus eam ob causam scalam ascendere. Quicquid aliquis librorum exoptat, petat a Bibliothecario aut Custodibus, atque ab illis communicationem expectet.

VI. Cujuscunque libri figuris in aes incisus, aut splendido quouis alio ornamento exornati, aut aliam quamcunque ob causam rarioris aut praestantioris, copia fiet, legitime desiderantibus, in ipso Bibliothecae publicae loco. Istiusmodi libros domum secum ferre nemini licet.

P. P. Kiliae, sub Sigillo Academiae, die XVIII Nouembris, MDCCLXXXII.


(L. S.)
(ACAD.)

I. F. Ackermann.

Th. H. Dreyer.

A. Bode
Buchbinderei
Schwerin i. M.





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727325478/phys_0006

DFG

ris studiosi ius publicum familiarissimum sibi red-
dant non particulare solum verum etiam vniuersale
aeque ac ius gentium & quicquid doctrinarum cu-
iusuis muneris publici in dicasteriis & collegiis pro-
vinciarum Regia auctoritate constitutis subeundi
caussa vel omnino necessarium vel apprime vtile
est, quorsum spectant Historia iuris, ars interpre-
tandi leges, quam Hermeneuticam iuris vocant, ius
feudale, Processus imperii romano germanici, Phy-
sica etiam & Historia naturalis, cet. Etenim ne-
mo, nisi superato hoc examine academico, ad exa-
mina supremi dicasterii vel Slesuicensis vel Glück-
stadiensis admittendus est. Quemadmodum Plato
scholae, quam in Academia habuit, philosophicae
inscripsit: nemo Geometriae ignarus accedat, ita
Rex noster Augustissimus nemini sacra Themidis
adeunda esse existimat, nisi omnibus illis doctrinis
erudito, sine quibus iuris studium, vulgaris opificii
instar, scientiae nomen tueri non potest.

His instructi praesidiis quum habeant non so-
lum quo vitam commode sustentare valent, verum
etiam quo viam sibi pandunt ad honores amplissi-
mos, & quod longe maius & praestantius est, Su-
premi

